

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 88. (Neovidensis 1808. Nro. 87.)

Politica Mortuorum Colloquia.

Elysium-Meum.-Die Veneris 11. Nov. 1808. (Neov. 25. Oct. 1808.)

Dat Gallenus opes, medicum si fama celebrat,
Quamvis ignarum, non dat si fama negavit,
Famane sic curat, sed non doctrina salutem?

Colloquentes Manes.

Gallenus. Weissenborn.

Weissenborn. Ratio vivendi, mores & consuetudines, præprimis vestiendi ratio advertenda, Medicinæ peter! quæ omnia notabilem in sanitatem vim exerunt.

Gall. Hæc animadversio vera est & exacta, alia tempora, alii morbi.

Weissen. Hodie vero ars saluberrima multum temporis deponit, magnisque est impleta sumtibus; huic adeo molestæ scientiæ vita tota immolatur, & quamdiu expectandum, usque quid lucrifiat?

Gall. Sæpe jam hisce in oris medicos id genus elegias cecinisse memini.

Weissen. Numerus quoque medicorum in dies augetur; opinio est, ei fodinam auri inesse, fit interdum: ut plures medici in quodam loco reperiantur, quam ægroti.

Gall. E re tamen foret: ut major medicorum cura habeatur.

Weissen. Unam medicis pro ratione status, dignitatisque consulendi novi rationem; & hæc est menstrua Conductio (Abonnement) est hæc minus sumtuosa, & tam pro medico, quam ægroto tutior, præterea utrique honorificentior.

Gall. Quo sensu hæc accipienda?

Weissen. In quavis ferme domo unus alterque infirmatur; plures proinde domus junctis consiliis medicum deligere, certamque Summam pecuniariam quotannis — quivis in ratione facultatum suarum conducere posset; hæc ratio maxime œconomica & minime sumtuosa; quippe aut morbo corripere, aut non; in utroque casu lucrum te manet; si primum, profecto sexies minoris veniet, quam si conducti Contractum non inivisset; si toto anno morbo cares, lubenti animo mercedis obliviscere, quam ex contractu debebas; alter hic casus Tontinæ potest assimilari; in qua qui jacturam habet, reapse lucratur. Sed nec minus œconomica hæc ratio ægroto ipsi est; quod hic minima valetudine affectus accire medicum possit, qui ex sua parte emolumentum habet, morbo potius occurrendi prius, quam tota vi erumpat, sicque prolixam curationem suscipere debeat; triste sane dictu, fatendum tamen: emolumentum præcipuum elaterium quarumvis humanarum actionum esse; quare magis e re, multoque securius est cum amico qui ex conservatione sanitatis meæ in hoc stadio, emolumentum habet, progredi, quam alium viæ comitem deligere, qui ex morte mea solutionem percipit.

Gall. Verum putasne hanc rationem & medico proficuum?

Weissenb. Equidem ita censeo, etenim habeat medicus 60 aut 80 conductas domos, cursu temporis summum 8—10 domus ægrotos continebunt, si hæc 8 aut 10 domus eum secundum numerum accessuum (Visitarum) non solvant, ut solvere deberent, si locati Conducti contractu non tenerentur, tum reliquæ domus, ægrotis carentes defectum abunde compensant, suorum meritorum, quæ omnes exultare debent; illæ quæ ægrotos censebant, quod aditus leviori sumtu obtinuerint, & quæ ægrotis carebant, quod morbis intactæ præstiterint. Assecurationes ita dictas Incendiorum causa iniri vulgo notum est, per quas ædium possessores in casu damni compensationem & damni resarcitionem consequuntur, & nihilominus societas assecuratoria insigniter locupletatur, idem hic Casus est, emolumentum privatum fontem habet communem utilitatem.

Gall. Hoc quidem menti meæ illucet.

Weissenb. Sed & dignitati medici hac ratione magis consulitur, etenim: in vicem accessuum ordinariorum seriatim enumerandorum, Medicumque cum magistro saltus, qui de domo ad domum cursitat, sæpioresque numero largius & liberalius medico solvitur, comparandi, an quæso non decentius Conventionem inire, qua medicus Jus consequitur sanitatis totius familiæ curam gerendi, & dum & quando, ut dici solet, accedendi.

Gall. Honos & dignitas uobilissimæ arti!
Weissenb. Unum adhuc iuualet addere. Juniores medici ex universitate reduces aliquot annis cum veteranis Medicis ægrotos inuisere deberent, ut praxim, quæ interdum theoriæ præstat plus vice simplici, ut inquam praxim condiscere valeant. Id quoque consultum foret: ut veterani practici occasione mutationis cujusvis rationis vestiendi (Modæ) animadversiones suas instituant, quantum auctoritatem hæc seducens Tyranna in humanum corpus exerat, quantamque mutationem in sanitatem producere possit.

Gall. Admiror animadversiones, utilesque observationes in saluberrimam artem nostram. Mea ætate pauci solum erant medici, verum destituebamur genuinis fontibus. Physica, hoc ostium Medicæ, in sua infantia jacebat, hodie plus thesauri medicinalis, plus subsidiorum, plus experientiæ præsto est; nihilominus fateri cogor, excelsos viros nobis fuisse, quin ætatis meæ merita extollam jactantius.

Weissenb. Quis id inficiabitur? — tu ipse magne Gallene! argumentum præbes; vivis adhuc dum, & clarissimi medicorum te consulunt; sed satis hodie de rebus nostris, jam publicas paginas dispiciendi animus est, ad res superioris mundi intelligendas.

Gall. Lubens largiar aures.

Weissenb. Vere asseverari potest: Anglos hoc bello quasvis exterarum potentiarum naves impetere, ut, si nullæ bellicæ naves am-

plius exquiri possunt, eo commodius imperturbatiusque bellum maritimum prosequi, tantoque facilius dominatum omnium marium continuare valeant; Classis Russica, quæ in portu Balthico salutem quæsivit, de præsentis objectum est eorum habendi cupiditatis, an eam adprehendendi fortunam habituri sint, ipsam ex portu Balthico de 6. Sep. nuncium declarat:

Ex quo combinata Anglicana Svecica Classis 25 velorum, quorum 16 naves lineales censebantur, sub imperio navali Admiralis Saumarez & Rauckhof, ad portum stationem fixit, nostram huc adpulsam Classem obsessura, ex eo inquam tempore quotidie novos eventus opperiebamur; Nostræ naves denudabantur, & seriatim arcte continenti admovebantur; machinæ bellicæ infimi munimenti ex una parte extrahebantur, oræque exponebantur, ad oræ munimenta iis firmanda.

In his adjunctis ultiores hostis operationes expectabamus; Admiralis Saumarez Parlamentarem expedivit, priusquam nostri adparatus bellici terminarentur; qui Admirali nostro proposuit, imperturbate cum dimidia parte navium Coronam vela daret, si modo alteram dimidiam combinatæ Classi tradiderit; ad quæ Admiralis noster paucis: „se malle sua manu totam Classem succedere” cumque hoc consilium successu caret, pars minorum navigatorum hostilium, pro tormentariis adparata, munimenta que nostra

triduo fortiter tormentis quassata, quin nihilominus singularem effectum exeruerint; interea Minister maritimæ rei Admiralis Tschagoff isthuc adpulit, ad adparatus defensionis moderandos, cumque ventus hosti denegaret validis totisque viribus adgressionem moliri, nos pares redditi munimentis ad perfectionem perducendis.

Ex his de præsentī censemus 15 partim machinis bellicis ex infimis linealium navium nostrarum munimentis, partim tormentaria suppellectile Revalia allata provisa. Jamque situm Classis nostræ ex integro tutum redditum conspicimus; tantoque ocius obsidione nos solvendo speramus, quod 5 Svecicæ lineales combinatam Classē deserere coactæ fuerint, cum ob malam constitutionem diutius mari immorari nequiverint, cumque Anglicanæ naves præterea singularem metum erga has aquas exhibeant, adeo: ut ad omnem impactum venti anchoras jaciant, & ad altum enitentur.

Ceterum — anni tempus præ foribus est, quo in mari perseverare Angli nequeunt; — quam exacte, & rigide hi officii suorum Generalium Ducum invigilent, id ex novissimis sequentibus Londino de 5. Oct. nunciis patescit:

Hæc (4. Oct.) Senatus urbis Londinensis libellum ad regem mittendum decrevit, quo Sua Majestas exoratur: ut in argumento initæ in Portugallia Conventionis Inquisitionem eam in finem adornare dignetur, ut, sunt

verba factæ in hac propositione quæstionis, illi, qui suis erroribus, & imperitia causam patriæ tam propudiosa ratione immolavere, detegi, plectique valeant.

Expedita die 22. p. m. Gothenburgum navium mercatoriarum Collectio 31 constans velis, tempestatibus dissipata est. Navis defensoria Leveret in societate 30 navium nupero Lunæ Yarmouthum adpulit, sequente die rursum mare ingressura.

Legatus noster Holmiæ D. Thornton revocatus dicitur.

Parisiis (20. & 21. Oct.) die 19. fragor tormentorum adventum Imperatoris & Regis ad S. Clodoaldum, qui 18 vesperi hora 10 locum habuit, annunciavit. Heri erat Conventus ministrorum in S. Clodoaldo sub præsidio Cæsareo Regiæ Majestatis.

B I O G R A P H I A.

Weissenborn (Joan. Frid.) Consiliarius aulicus & Professor Erfurtensis nat. 19. Feb. 1750 scripsit: Introductionem in artem obstetriciam. 1780; animadversiones in morem vigentem eminentes caligas gestandi ceu causam hæcenus ignotam frequentium rupturarum, item descriptionem elasticæ fasciæ hernialis, quæ herniæ inguinali in adultis etiam ex radice medetur, cum imagine æri incisa 1794. 4to. aliquot ejus dissertationes continentur Actis Erfurt. quæ peculiariter typis vulgatæ. Obiit 23. Oct. 1799. Ejus Effigies Calendario Gruneriano 1792, præfixa habetur.

Galenus (Claudius) celeberrimus Medicus natus Pergami circa annum 131. filius erat præclari in hac Urbe Architecti. Postquam Philosophiam absolvisset, Medicinæ operam dedit, usus clarissimis Institutoribus suæ ætatis Satiro, & Pelope. Tum Alexandriam transiit ad audiendos ejates doctores. Inde anno 169 Romam, ubi diversa scripsit, postea & hac urbe excessit, iterque in Asiam suscepit, at paullopost ab Imp. M. Aurelio revocatus, quo mortuo patriam urbem repetiit, in qua secundum communem sententiam Anno 200 vivis excessit. Scripsit 200 libros, qui cum templo pacis conflagrarunt, quod adhuc superest optime 1538 in 5 tomis Basileæ, & 1625 in 7 tomis Venetiis editum est. Cum primis æstimatur: *Tractatus in usu partium Corporis humani*. Erat debilis & teneræ complexionis, ut ipse asserebat, nihilominus sua temperantia & medicis subsidiis protractam ætatem adeptus, axioma tenebat: prius mensa decedendum esse, quam appetitui de integro satis factum esset. Jure post Hypocratem princeps Medicorum habetur. morbis curandis tam admirabilis, ut magiæ postulatus, Roma decedere cogetur. Ejus opera græce scripta sunt.

In hac Typographia prostat venalis:

Catechismus Ecelessiarum Imperii Gallici.
8vo 1 fl.